

« placent Patri a principio mundi, quoniam opera
« tio Patris ac Filii ad extra est indivisa, et est
« amborum una voluntas et potestas, quidquid
« facit unus, facit alius et summe complacet al-

« teri, porro secundum naturam assumptam, fecit
« Filius a principio Incarnationis, que compla-
« cent Patri, quia obedientissimus fuit voluntati
« divine. »

FERIA TERTIA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XXIII, VERS. 1

1. Jesus locutus est ad turbas et ad discipulos suos dicens :
2. Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei.
3. Omnia ergo quæcumque dixerint vobis servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere ? dicunt enim, et non faciunt.
4. Alligant enim onera gravia et importabilia, et imponunt in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea movere.
5. Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria sua, et magnificant fimbrias.
6. Amant autem primos recubitus in cœnis, et primas cathedras in synagogis.
7. Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.
8. Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.
9. Et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in cœlis est.
10. Nec vocemini magistri, quia Magister vester unus est Christus.
11. Qui major est vestrum erit minister vester.
12. Qui autem se exaltaverit, humiliabitur, et qui se humiliaverit, exaltabitur.

VERSUS 1.

Locutus est ad turbas et ad discipulos suos.

1. — Christus ad turbas pariter et discipulos suos, discursum hunc pronuntiavit, ad illas quidem, ut erga eos, a quibus edocendi erant, quod munus proprium est Ecclesiasticum, debitum respectum, venerationem et reverentiam iisdem imprimeret, etiam si tales moribus et vitæ conversatione, bonis doctrinis et dogmatibus suis minime corresponderent; ad Apostolos vero locutus est, ut, dum hi, illum Scribas et Phariseos reprobantem et graviter reprehendentem audirent, eosdem in suo quoque ministerio exequendo, cautos et circumspectos efficeret; siquidem ut Semeca scribit : « Felix sapientia, quæ ex aliorum discitur insipientia, » et ideo sæpenumero illos monebat, dicens : *Caveat a fermento Pharisæorum.*

VERSUS 2.

Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisei.

1. — Non est hoc ita intelligendum, ac si Scribæ et Pharisei in eadem cathedra, e qua Moyses suo

tempore docerat, considerent, hæcque cathedra ad ea usque tempora conservaretur; ad eum modum, quo etiamnum in hodiernum diem usque, cathedra conservatur S. Petri, sed per hanc cathedram, sacri Interpretes hoc loco instructionem circa legem a Moysæ traditam, intelligunt. Unde S. Hieronymus ait : « Cathedra doctrinam legis ostendit. » S. Anselmus : « Magisterium doctrinæ, quam docuit Moyses; » vel etiam juxta expositionem Lucæ Brugensis : « Intelligitur per cathedram Moysi, quæ auctoritas promulgandi, interpretandique legem Dei, ac populum juxta eam judicandi et regendi, quæ primis a Deo fuit auctus Moyses. »

2. — Quæstio hoc loco non inopportuna moveri potest, cur scilicet hæc cathedra a Moysæ et non potius ab Aarone appellationem suam habeat, cum tamen hic summus Sacerdos et Ecclesiasticus fuerit, ad quos proprie pertinet instruere populos, adhuc, cum Aaron eloquens, facundusque fuerit, illi potius quam Moysi in hac cathedra locus deberi videtur, cum Moyses hællus et elinguis, ac sæcularis populi Princeps existerit. Respondetur, legem, quæ in hac cathedra doctrinaliter tradebatur, a Moysæ allatam fuisse, ac proinde ab ipso, cathedra Moysi appellatur et quidem tametsi verum sit, Moysen loquenti

difficultate haud parum laborasse, manu tamen sua, id est, per virgum suam egregie operabatur. Efficacissime autem in cathedra illi Oratores perorant, qui exemplis et bonis operibus potius quam verbis et voce loquuntur. Unde S. Leo, *Serm. de S. Lour.*, ait : « Facilis ad exhortandum sit oratio efflicax ad suadendum, validiora tamen sunt exempla quam verba, et plenius est opere docere, quam voce. »

Sederunt.

3. — Tametsi Scribæ et Pharisei ministerium, etiamnum in presenti actualiter adhuc adimplerent, incarnata tamen Sapientia non sine causa in tempore præterito dicit : *Sederunt*, quia *Lex et propheta usque ad Joannem*, et ideo jam auctoritatem et jurisdictionem suam perdidissent, lege Evangelica jam in ejus locum subingrediente.

4. — Hæc sessio auctoritatem ipsorum indicabat. Unde Cajetanus *Sederunt*, ita explicat : « Auctoritas tam habuerunt, ut Judices presidentes, » ac proinde vigore hujus potestatis, iis obtemperari, eosque in veneratione haberi volebat. Unde Beda ait : « Propter sacerdotum, nominisque dignitatem exhortatur populos, ut subjiciantur eis; non opera, sed doctrinam considerantes. »

5. — In hoc quoque verbo *Sederunt*, error quidam notari potest multorum Prælatorum et superiorum communis, qui ad dignitates aspirant, easque ambiunt, et studiosè venantur, non alio fine, quam ut sedeant, seu ut quietem et animi remissionem sibi capiant, delicate et commode vitæ omnem operam dantes. Unde per quotidianam experientiam multos videmus, qui superioribus temporibus vel justitiam administrando, vel laboriosis studiis tradendis operam dando, vel munia alia difficilia exerecendo defatigati dicere solent : Dabo operam, ut Ecclesiam aliquam vel Episcopatum prædixit nanciscar, ut tantisper requiescere liceat, et nunquam vere requiescunt et suaviter obdormiscunt, sed super lana gregis, quem tondent, copiosos sibi redditus congregando, ut quietius et suavius vivere possint. Interea vero Apostolus ad Timotheum, II, 1, scribit : *Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*; id est, ut Hieronymus verba illa glossando exponit : « Non opes, non dignitas, non divitias, sed opus, laborem desiderat. » Tales erant hi Scribæ et Pharisei, qui nihil aliud quam venerationem, honorem et reverentiam a mundo exhibendam, non vero animarum salutem et profectum desiderabant, *Matth.*, II, 6 : *Amant primos recubitus, primas cathedras, salutationes in foro, vocari ab hominibus Rabbi*, etc., ad sedendum solum, non vero ut se quoad intronizare possint, spectantes.

6. — Paulus de Palatio hoc loco querit, cur Christus dixerit : *Sederunt*, non vero ascenderunt, « aut steterunt, » usitatum enim est, quod Prædi-

catores, tametsi nonnunquam sed rarius sedeant, majori tamen ex parte verbum Dei stando et erecto corpore populo annuntiant et respondet : « Non omnibus Predicatoribus obedienda debetur, sed his, qui prædicant ex officio, aut munere sibi commissio; his enim, qui nondum prædicant ex functione commissa, sed ut ad prædicandum se exerceant, nondum parere tenemur, ii enim nondum in cathedra sedent, licet sedere contentant. »

7. — Auctor Imperfecti, *Ihm. XLIII*, in eos Sacerdotes, qui solo nomine tales sunt, seu qui in hac cathedra indigne sedent, vel qui reverentissimo sacerdotii gradu abutuntur, graviter his verbis invehit : « Multi Sacerdotes et pauci Sacerdotes, « multi nomine, pauci opere; videte ergo, quando sedeatis super eam, quia cathedra non facit Sacerdotem, sed Sacerdos cathedram; non locus sanctificat hominem, sed homo locum; qui bene sederit super cathedram, honorem accipiet ab illa; qui male sederit, injuriam facit cathedræ; ideoque malus Sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem. » Et Origenes, *tract. xxiv in Matth.*, dicit : « Is tamen bene sedet, qui prius facit, quam dicat, qui prius portat onus, quam alii imponat. »

Scribæ et Pharisei.

8. — S. Paschasius, *lib. X in Matth.*, inter duplex hoc hominum institutum hanc intercedere differentiam docet : « Tradunt quidam, quod Scribæ dicantur, quia a littera legis non recedunt, et Pharisei, qui magis aliquid de lege se nosse profitentur et ideo seipsos quasi meliores ac doctiores a cæteris dividant, unde et Pharisei vocantur, quod interpretatur divisi vel segregati; » quales inter nos sunt hodie religiosi et claustrales magis reformati. Dionysius Carthusianus nullos ex his Sacerdotes et de numero septuaginta seniorum populi fuisse existimat, qui tempore Moysis totius Republicæ Hebræorum ordinarii Judices et Consilarii, ætate proveci et doctrina insignes erant. Hoc supposito, querit Cajetanus, quare Christus nullam Sacerdotum aut Pontificum mentionem fecerit ? Et respondet : « Propter reverentiam ordinis sacerdotalis; » et ecce tibi ipsissima ejus verba, quæ in hujus favorem habet : « Lege Evangelium; nunquam invenies Jesum nominasse Sacerdotes aut Pontifices, arguendo et reprehendendo, sed Scribas et Phariseos professores scientiæ et morum, instruendo Prædicatores, ut non prædicent contra Sacerdotes aut Pontifices in specie, propter reverentiam ordinis. »

VERSUS 3.

Omnia ergo, quæcumque dixerint vobis, servate et facite, secundum vero opera eorum nolite facere; dicunt enim et non faciunt.

Omnia ergo, quæ dixerint vobis, servate et facite.

1. — S. Anselmus ait: « Servate quæ ad cathedram pertinent, non ad vitam. » Consideranda est in superioribus non ipsorum persona, sed auctoritas, quam Deus dignitati et muneri illi delegavit, ad quod per ejus dispositionem fuere assumpti. Deus etenim illos hic in terris constituit, voluntatis suæ arbitros, legumque suarum Iudices et interpretes. Christus se Matri suæ et Josepho, licet hi ipso in sanctitate et sapientia longe inferiores essent, subiecit. Nam ut Origenes quoque scribit: « Saepè enim subtilius melior est. » S. Ignatius Loyola in Epistola quadam, in qua de obedientia tractat, salutare hoc monitum suis scriptum reliquit: « Nunquam intueantur personam, cui obedunt, sed in ea Dominum, cujus causa obedunt. » In Actibus quoque Apostolicis, x, 3, scribitur: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit.*

2. — Paulus de Palatio considerat, Christum prius dixisse: *Super cathedram Moysi sederunt*, idque merito, quia « admonuit Predicatores officii sui, ne dum predicant, se privatos homines esse putent, sed personam et auctoritatem habere Moysi, id est, Dei. » Eandem quoque considerationem habere debent, qui illos auscultant, id est, Deum per os illorum loqui credere debent: *Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit.* Theophylactus ait: « Quæcumque enim dicunt Doctores, illa Moyses puta te dicere, id est, Deum. »

3. — Apostolus Paulus in duobus locis hæc verba replicat *Eph.*, vi, 3: *Obedite Dominis carnalibus cum timore et tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo, non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo.* Quod idem fere ad Colossenses, iii, 22, scribit; ubi Theophylactus ait: « Ob Dei oculum, ut, quam ex lego debes servitutem, ex timore amoreque Dei fiat, ut hæc sit simplicitas non ad homines respicere. »

4. — S. Antonius de Padua, *Serm.* in hac. *fer.*, Christum nos hisce verbis admonere voluisse docet, ut Dei verbum reverenter audientes, executioni quoque mandemus; tametsi etiam a male vitæ hominibus nobis annuntietur, cum hac tamen clausula reservante: « Dum tamen fundetur in veritate Scripturæ divinæ, » adducitque exemplum sanctissimi Corporis Christi, quod summa cum reverentia adoramus, tametsi ab indigno fuerit Sacerdote consecratum, sic est de verbo divino. Paulus de Palatio dicit: « *Servate et facite*, indicat,

« quanta cura et veneratione verba Dei servanda « sint. »

5. — Verumtamen Theophylactus quaerit: « Pa- « ciendane igitur omnia, quæ dicunt, etiamsi « mala fuerint? » Respondetque dupliciter. Primo, quod, ut plurimum is, qui alios docet et predicando instruit, errorem, vitium, aut quodvis aliud malum animis eorum insinuare non audeat. S. Augustinus hanc habet observationem: « In verbis Christi « debetis advertere, quantus honor delatus sit doc- « trinæ Moysi, in ejus cathedra etiam mali seden- « tes, bona dicere cogebantur. » Idem S. Doctor alibi quoque dicit: « Illa cathedra non eorum, sed « Moysi, cogebat eos bona dicere etiam non bona « facientes. » In Petri cathedra pessimi nonnunquam sederunt Pontifices, qui tamen nullos unquam ex eadem cathedra tradiderunt errores, aut falsitatem docuerunt. Secundus modus respondendi est: « Ut demus hoc, ut quis in malam vitam inhoretur, « non tunc a Moysi cathedra, neque de lege loqui- « tur, Dominus autem dicit de his, qui in cathedra « Moysi sedent. » Jansenius rationem reddit, cur malam doctrinam persuadentibus et docentibus, fidem aut obedientiam adhibere minime debeamus: « Nam si eis est obediendum, quoniam in « cathedra sedent Moysi, non est ergo obediendum, quando contra eam cathedram aliquid « docent vel præcipiunt. »

Secundum vero opera eorum nolite facere.

6. — Nimirum, ut Chrysostomus, *Hom.* lxxiii in *Math.*, ait: « Præmonere multitudinem voluit, ne « opera eorum consequentes, miscris cadant. » Unde verba hæc admodum utile in se monitum continent; siquidem malum superiorum exemplum facillime ad subditos transmittitur, *Math.*, v, 3: *Si sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Faciliores etiam magisque dispositi et inclinati ad malum, quam ad bonum sumus; et ideo S. Paulus ad Titum, ii, 3, ait: *In omnibus teipsum præbe exemplum bonorum operum.* Et S. Anselmus dicit: « Qui viderint, « legant in operibus tuis, velut in libro legis, quod « agere debant, » ex quo enim bonum exemplum tantam in se efficaciam habet, quando amplius exemplum malum proserperet, nisi ab illo præmoniti et præcanti essemus? Porro Apostolus de illis, qui res profanas prædicant, tractans, *1 Tim.*, ii, 16, dicit: *Multum proficiant ad impietatem et sermo eorum ut oncer serpit;* idem quoque multis eveniret, nisi hunc scopulum, bonam doctrinam, utillaque præcepta a malis moribus ea insinuantium distinguere scientes, evitarent. S. Augustinus, *tract.* xlvi in *Jo.*, dicit: « Botrum inter spinas caute lege, ne dum « quaeris fructum, laceres manum; et cum audis « bona dicentem, ne imitatoris mala facientem. »

7. — Lucas Brugensis ait: « Vult eis obedi- « re, sed cum cautela, » nimirum de obedientia,

Scribis et Phariseis ab eorum auditoribus debita loquitur, « auctoritas, » inquit, « eorum ita promo- « veat vos ad obedientiam, ut ad imitationem, doc- « trinam sequamini, non vitam. » Cui optime consonat, quod S. Thomas diu ante ipsum pariformiter scripserat, in *Math.*, dicens: « Hic docet cautelam: « debetis scire, quod Prælati præficunt, ut doceat « non solum doctrina, sed etiam vita. » Tandem vero de Scribis et Phariseis in specie tractaturus, de illis tale quod dicit, quod et de multis Ecclesiasticis et prædicatoribus Evangelicis dici posset, nimirum: « Isti non dissonant a doctrina, sed a vita, « ideo doctrina eorum est attendenda, sed vita « cavenda. »

8. — Nihil hac in re adeo necessarium est, quam quod quis inter dignitatem, potestatem, doctrinam, ac demum inter personam, ejusque malos mores et scandala discernere queat; pro cuius faciliiori explanatione Auctor Imperfecti, *Hom.* xliii, sequentem adducit similitudinem: « Ecce enim et vilis terra « aurum producit, numquid propter terram vilem « pretiosam aurum contemnitur? » In toto elemento terre nihil est pars sterilior, incultior et spinis ac verpibus refertior, quam in qua mineræ latent, auro et argento onustæ, et tamen tanti valoris metallum producit. S. Bernardinus Senensis, *Serm.* x in hac *fer.*, eadem quoque utens similitudine, dicit: « Sicut aurum eligitur et terra relinquitur, sic et nos debemus doctrinam accipere, et mores relinquere. » Idem quoque aptam apum affert similitudinem, et ait: « Apibus herbæ necessariæ non « sunt, sed flores herbarum, flores colligunt, et « herbas relinquunt, que et vos flores doctrinæ « colligit, et conversationem relinquit, ubi sit « inutilis herba. » S. Augustinus aliud quoddam, a Sacramentis petiit practicum exemplum adducit, quæ cum ad gratiam conferendam instituta sint, huic effectui mali ministri nequaquam præjudicant: « Memento, Sacramentis Dei nihil obesse mores « malorum hominum, quo illa vel omnino non « sint, vel minus sancta sint, sed illis malis homi- « nibus, ut hæc habeant ad testimonium damna- « tionis, non ad adiutorium salutis. » S. Carolus Borromeus in libro illo, qui vernus quidem est Ecclesiasticæ disciplinæ thesaurus et intitulatur: *Acta Ecclesiæ Mediolanensis;* ubi de distinctione agit ordinandorum, quos a populo in magna veneratione haberi volebat, hunc in modum Parochis præcipit: « Docebit præterea dignitatem sacerdo- « talem, clericalemque, non a persona illorum, qui « illam obtinent, sive obscuro loco, sive humili « genere nati sint, sed ab officii munere et admi- « nistratione pendere, non propterea illos esti- « mandos esse, quatenus homines sunt, sed tan- « quam dispensatores mysteriorum Dei, quorum « omnis illis administratio commissa est, quæ ad « populi salutem et perpetuam utilitatem spectat. »

Auctor Imperfecti, *Hom.* xliii, ait: « Si bene vixerint, « eorum est lucrum. Si bene docuerint, nostrum; « accipite quod vestrum est, nolite discurrere quod « alienum est. »

9. — Origenes super hæc verba ait: « Quid est « Doctore illo miserabilis, cujus vitam discipuli cum « non sequantur, salvantur; cum imitantur perdun- « tur. » Deus per Psalmistam lamentatur, *Psal.* lvi, 13, dicens: *Si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique, tu vero homo unanims, dux meus et notus meus, qui simul mecum dulces capiebas cibos, in domo Dei ambulavimus cum consensu;* cui et similibus Deus severissimum comminatur supplicium, dicens: *Veniat mors super illos et descendat in infernum viventes, quoniam nequitia in habitaculis eorum, in medio eorum.* S. Ambrosius, *de dig. Sacerd.*, ait: « Quid sumus professione, actione potius quam « nomine demonstramus, ne sit nomen inane, et « crimen immane, ne sit honor sublimis, et vita « deformis. » Chrysostomus, *Hom.* xxxi in *Math.*, dicit: « Nulla re Deus magis offenditur, quam quod « indigni et peccatores Sacerdotes dignitate præ- « fulgeant. » S. Hilarius quoque, quam divina justitia acerbum supplicium per ejusmodi indignos Sacerdotes, christianam plebi inferri soleat, his verbis exponit: « Quantus nobis dolor est, cum « ex populo Dei effici videmus sæculi ministrum et « operarium diaboli, et vas mortis, et materiam « gehennæ? » S. Gregorius, *Hom.* xvii in *Evang.*, similitudine utitur aque baptismatis, quæ, postquam alto illi gratiæ in Sacramento conferenda ministerio cooperata fuit, projicitur et in cloacas effunditur: « Ingredientium electi Sacerdotum manibus, « expiati celestem patriam, » de baptizatis loquitur, « et Sacerdotes ipsi per vitam reprobam ad « inferni supplicia festinant. Cui ergo rei similes « dixerim Sacerdotes malos, nisi aquæ baptismatis, « quæ peccata baptizatorum diluens illos ad regnum « celeste misit, et ipsa postea in cloacas descen- « dit? »

Dicunt enim, et non faciunt.

10. — S. Paschasius, *lib.* X in *Math.*, de iis, qui per facta verbis non correspondent, ita scribit: « Qui bene docuerit et male vixerit, de sacerdotio « suo crimen acquirit potius, quam dignitatem, « quia indigne sedet. » In ejus confirmationem opportune Auctor Imperfecti, transgressores illos his verbis austere monet, dum ait: « In judicio « enim sedens, siquidem male vixeris et bene « docueris, omnium iudex es; si autem bene « docueris et male vixeris, tui solius condemnator « es; nam bene vivendo et bene docendo, populum « instruis, quomodo debeat vivere; bene autem « docendo et male vivendo Deum instruis, quomodo « te debeat condemnare. »

11. — D. Chrysostomus, *Hom.* lxxiii in *Math.*,

mali ejusdam Ecclesiastici peccatum ex tribus capitibus aggravari dicit: « Tripliciter condem-
natur. » Primo quidem propter transgressionem.
Secundo, quia dum alios corrigere adstrictus ipse-
met claudicat, atque in eo, quod ex dignitate,
quam sustinet, dare obstringitur, bono exemplo
deficit, majoris se reum esse facit supplicii. Tertio,
quia quia a Rectore et Doctore probetur scandalum
et malum exemplum, in inferioribus facilis ser-
pendo propagatur et imprimitur.

12. — Jansenius, ad præsens propositum, sen-
tentiam quamdam refert Diogenis, qua « inter
« cætera præclare dicta; eos, qui de virtute loque-
« rantur, nec recte viverent, dicebat cytharæ simi-
« les, quæ sono prodest aliis, cum ipsa non sentiat,
« nec audiat quidquam. » Abbas Pastor in vitis
Patrum ait: « Si quis docet aliquid et non facit
« quod docet, similis est puteo; qui omnes ad se
« venientes satiat et sordes delet, seipsum autem
« purgare non potest, sed omnis spurcicia et
« immunditia in eo est. » Cajetanus tales monstra
appellat: « Monstrum est in moralibus, dicere et
« non facere, seu vita contraria et doctrinæ. » Nun-
quam Apostoli, eorumque successores mundum
convertere potuissent, si sola voce prædicassent,
sanctitatem autem non adhibuissent, *Psal. cxxix*:
Excitationes Dei in gutture eorum et gladii ancipites
in manibus eorum. Sed quomodo putas id sine fieri? *Ad*
faciendam vindictam in nationibus, increpationes in
populis. Quis hanc facundiarum linguarum et ancipitum
ensium conjunctionem, ad populos et gentes
prosternendas non admiraretur? Notandum vero est,
quod hoc loco de idololatria dissipanda, omnibus
terre nationibus, tyrannis, monarchisque legi
Evangelicæ subjiçendis tractetur: *Ad alligandos*
reges eorum in compedibus. Totum vero istud nego-
tium, per verbi Dei et predicationis ensem con-
ficitur: *Gladium spiritus quod est verbum Dei.* Et ideo
ubi Vulgata in Epistola ad Philippenses, *iv*, 3, legit:
Mecum laboraverunt in Evangelio, in Græco legitur:
Concertaverunt. Ubi Evangelii prædicatio certamini
cuidam sive conflictui comparatur. Advertendum
est autem, victoriam istam in tantum fuisse ab
Apostolis gloriose reportatam, in quantum enses
hosce, in manibus suis ferebant: *Gladii ancipites in*
manibus eorum; id est, in quantum convenienter ad
id quod prædicaverant, vite sue actiones institue-
bant, quia ut Isidorus Pelusiota ait: « Sermo actione
« desitutus, non ultra aures grassatur, qui autem
« ab actione animatus est, ut, qui acris et effleax sit,
« penetrat, animumque tangit. »

VERSUS 4.

Alligant enim onera gravia, et importabilia, et
imponunt in humeros hominum, digito autem suo
nolunt ea movere.

Alligant enim onera gravia, et importabilia.

1. — Lyranus per hæc onera, nullas traditiones
ipsis propria intelligi existimat: « Quia supra legis
« præcepta constituerunt nulla ex traditionibus,
« quæ erant gravia et importabilia. » Unde fiebat,
quod circa Sabbati observantiam adeo indiscrete
zelosi fuerunt, ut ipsismet Salvatorem veluti illius
transgressorem et severissimi supplicii, ex eo solum,
reum esse censuerint, quia infirmos miraculose
sanaverat; Apostolos quoque redargebant, eo quod
famis sedandæ causa, grani spicas convellerent;
neminem quoque nisi prelovis manibus, panem
manducare posse censebant, quæ omnes aliæque
similes superstitiones, in hoc eodem capitulo fuis-
se reprehenduntur. Lucas Brugensis ait: « Verbo
« alligandi declarat Salvator, undique colligi præ-
« cepta ex lege, ex traditionibus seniorum, ex
« propria sententia, quæ gravissima reddantur,
« primum ad multitudinem, deinde ob molestiam;
« adhæc ob rigorem interpretationis divinarum;
« denique ob difficillimam veniæ impetrationem, si
« quis ea transgressus esset. »

2. — Verum quidem est, quod antiquæ et Mo-
saicæ legis præcepta ceremonialia, moralia, iudi-
cialia et legalia ad numerum sexcentorum tredocim
facile ascenderint, nequaquam tamen importabilia
erant, siquidem æternæ Veritatis calamus multos
recenset, qui exactissimi fuerunt omnium præcep-
torum observatores. Quia igitur ratione præcepta
isthæc odiosum illud nomen sortiuntur, quo *onera*
importabilia appellantur? Responsio in promptu
est, qui Scribes, qui in eorum adimplerione primi
esse debebant, quique eorumdem observantiam aliis
inculcabant, ab illorum adimplerione se subduce-
bant et tamen adversus eos, qui illa transgressi
fuerant, valde se zelosos et ferventes exhibebant.
Unde Lucas Brugensis ait: « Eo graviora et magis
« onerosa reddunt præcepta, quia dicunt et non
« faciunt; nam quando qui dicit, facit, allevat
« onera, et exemplo suo consolationem affert. »
Cui consonat Theophylactus, ita scribens: « Quando
« enim qui docet, non solum docet, sed et operatur,
« videntur simul cum his, qui docentur, operari et
« laborare; cum vero ille me onerat, ipse autem
« nihil agit, magis me gravat, inde ostendens ea,
« quæ dicit, fieri non posse. »

3. — Paulus de Palatio aliam quamdam affert
rationem, cur adimpletio legis onus importabile
appellatur: « Lex Christi sine amore, sine spiritu
« vix portabilis est, at non accusatur Deus eam
« legem ferens, si enim tulit, dedit etiam spiritum,

« et vires, quibus portetur, quibus fiat jugum
« suave, et onus leve. » At vero amore Dei et spiritu
deficiente, vigor quoque deficit observantia, nihilque
nisi labor et lædi nausea sentitur. *Viam mandatorum*
tuorum curavi, dicebat David, *Ps. cxviii, 32,*
cum dilatasti cor meum. S. Augustinus super illa
verba Psalmi: *Stultus in loco spatioso pedes meos,*
ita scribit: « *Certe angusta est via; laboranti an-*
« gusta, amanti lata est. » Enimvero tametsi Mosaicæ
legis præcepta, ad tam ingentem numerum excre-
verint, altamen sibi omnium adimplerionem, quovis
momento summæ cure fuisse sancto gloriatur, eo
quod amabat, ac proinde de omnibus velut de unica
duntaxat lege loquitur, dicens, *Psal. cx, 97*: *Quo-*
modo dilexisti legem tuam Domine, tota die meditatio
mea est; atque ideo ipsemet quoque Salvator non
sine mysterio in singulari numero, non vero in
plurali dicit, *Joan., xiv, 32*: *Si quis diligit me, ser-*
monem meum servabit, quia, quando verus spiritus,
verusque amor in nobis est, tunc omnia divina
præcepta eadem cum facilitate adimplentur, ac si
unicum solum esset.

4. — Auctor Imperfecti, per horum verborum
occasionem, indiscretos et erga penitentes ni-
mum rigorosos confessorios hæc verbis graviter,
Hom. xliii, reprehendit: « Tales sunt, qui grave
« pondus venientibus ad penitentiam imponunt;
« ubi paterfamilias largus est, dispensator non debet
« esse tenax. Si Deus benignus est, ut quid sacerdos
« ejus austerus? Vis apparere sanctus? Circa tuam
« vitam esto austerus, circa alienam autem beni-
« gnus; audiant te homines parva mandantem et
« grandia videntem facientem. »

5. — Cajetanus quoque ex his verbis, motivum
sumit conserendi, adversus tot variantium opinio-
num multipliciter, quæ viam Dei stringunt et
difficilem reddunt. « Utinam hæc verba Domini
« Jesu, in sedentibus super cathedram Moysi, finem
« habuissent. Tot jam onera sunt super utriusque
« Testamenti honestissima præcepta mposita super
« humeros hominum, ut Christiani facile se servire
« Christo credant, si tot laqueis non subiecerentur,
« sic de solis divinis præceptis solliciti esse debe-
« rent. »

Et imponunt in humeros hominum, digito autem
suo nolunt ea movere.

6. — S. Thomas, in *Matth.*, aptissime hæc de re
discurrit, dicens: « Excedunt in dicendo, iterum
« in non faciendo; » id quod hoc modo probat:
sunt enim nonnulli, qui non omnia, sed aliqua
tantum præcepta facere volunt; sunt alii, qui ob iis,
quæ difficilia sunt, se subducunt; alia tamen, quæ
faciliora sunt, adimplent; sunt item, qui tametsi
præcepta non adimplant de facto, optimam tamen
habent illa adimplendi voluntatem. Tandem
sanctus Doctor concludit, dicens: « Sed qui nihil

« istorum vult in malitia superexcedit. » Unde
dicit: « *Digitus autem suo nolunt ea movere;* unde
« non solum non faciunt, sed nolebant saltem
« digito suo movere, id est, inchoare. » Lucas
Brugensis ad verba illa: *Nolunt ea movere,* se
reflectit et considerat, quod ille, qui *scrutatur renes*
et *corda,* declarat, defectum hunc se tenere ex parte
deficientis perverse voluntatis ipsorum, non vero
ex parte impossibilitatis: « Non enim quia non
« possint præ infirmitate tanta onera ferre, quanta
« alii, sed quia absolute nolint. » Albertus Magnus
ait: « Ecce incompassio: super afflictos dura gesta-
« bant viscera, et motus digiti minimi significat
« adjutorium vel computationem; » in cuius com-
probationem illum Apostoli ad *Galat., vi, 2,* textum
adducit: *Alter alterius onera portate et sic adimple-*
bitis legem Christi. At vero pessima Scribarum et
Pharisæorum indoles hæc erat, quod « in se essent
« concupiscentis resoluti et circa alios austeri.
« *Amos, vi, 6*: *Optimo unguento,* etc. » S. Anselmus
in horum defectibus, multorum quoque adalorum
sacerdotum culpam agnoscit, dicens: « Tales sunt
« etiam indiscreti sacerdotes, qui omnem justitiam
« populo mandant et ipsi nec modicam servant. »
7. — Paulus de Palatio advertit, non tam Scribas
et Pharisæos reprehendi, quod in observantia præ-
ceptorum essent tepidi, quam quod omnia etiam
importabilia onera alii portanda imponerent, ipsi
vero ne vel minimi digiti opem admoveendo, illos
sublevarent; unde hanc moralitatem adducit:
« Quid enim si Pharisæus decimas hinc det, illic
« vero odiat, invidet, superbiat? Profecto parum
« legis fert, non totam; hæc ergo sagillantur, quod,
« cum totam legem allegant, non totam movere
« contentant. »

8. — Lucas Brugensis verbum, *Imponunt,* consi-
derat et dicit: « Imponendi verbo jaectantia notari
« a Salvatore videtur, qua sibi in eo placuerint
« quod aliis leges conderent et imponerent, » quod
imperium in alios exercebant.

9. — In his quoque verbis, egregia observari
potest excellentia, qua Evangelici novæ legis sacer-
dotes et ministri, veteris legis sacerdotibus præ-
stant; hodie enim sacerdotibus gratia illa collata est,
ut digito non suo, sed Dei, id est, mediantibus
sacramentis, quæ conferunt, et mediante gratia Spi-
ritus Sancti, qui dextere Dei digitus appellatur,
præceptorum divinarum pondus alleviare et tolera-
bilibus efficere possint, ac proinde notandum est,
quod in festo Pentecostes in Evangelio mentio fiat
adimplerionis divinarum præceptorum, factæ in vir-
tute amoris Dei, qui cum hoc sanctissimo Spiritu
unus et idem est: *Si quis diligit me, sermonem meum*
servabit; qui non diligit me, sermones meos non ser-
vat.

VERSUS 5.

Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus; dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias.

Omnia vero opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.

1. — S. Joannes Climacus magnus vite spiritualis magister, quantopere vanæ gloriæ appetitus huic nostræ corruptæ naturæ congenitus sit, optime nobis insinuat dum « Naturam non facile ab appetitu gloriæ posse servari illasam » dicit, adeo etiam, ut quemadmodum S. Augustinus notat, sæpe fiat, quod dum nos illam, omnem humanum applausum fugiendo nosque quoad possumus abscondendo et humiliando superasse credimus, tunc illa vel maxime nos aggredi et infestare incipiat: « Sæpe homo de ipso vanæ gloriæ contemptu vanus gloriatur. » At vero Scribæ isti et Pharisei ex industria et data opera, laudibus hominum et applausibus eorum captandis operam dabant, prout manifestum in Phariseo illo habemus exemplum, qui in medio templi constitutus, de factis a se operibus bonis inaniter se jactabat. Ac proinde S. Thomas huic maledictio vanæ gloriæ appetitui velut causæ attribuit, quod Scribæ illi et Pharisei incorrigibiles fuerint, sequi in quemvis criminorum excessum præceptis egerint: « Causa, quare homo est difficilis ad corrigendum, est querere gloriam propriam. » Unde Chrysostomus ait: « Tolle gloriam inanem de clerico et sine labore omnia alia vitia ressecabis. »

2. — Albertus Magnus Christum in illis verbis omnem ipsorum malitiam tam internam quam externam detegere voluisse observat: « Hic fit extensio exterioris simulationis cum interiori malitia iniquitatis; » specialiter autem hisce verbis meminit operum et actionum, « quia cogitationes non patent. »

3. — Valde considerabilis est hæc dictio, *Sua*, per hanc namque significare vult, quod opera illa, quantumvis apparenter bona essent, quantumvis in honorem Dei et ad Deo placendum facta fuisset videantur, nihilominus tamen opera ipsorum erant, quia eo fine præcipue facta fuerant, ut per illa, honorem et existimationem propriam sibi aut parentem, aut adaugerent, virtuosè quidem operabantur, sed non ad honorem Dei, sed ad honorem propriam: *Omnia opera sua faciunt, ut videantur ab hominibus.* Unde idem Albertus Magnus ait: « Faciunt non ex charitate vel obedientia, sed ut videantur ab hominibus. » Festa quidem aliqua celebrabant, v. g. primum diem cujuslibet mensis in memoriam receptæ a Deo legis; ita tamen ut per illa festa, Deo cultum aliquem exhibere minime intenderent, sed prout interesse honoris et applausus proprii promoverent; unde Deus, *Isa.*, 1, 4, ait: *Calendar vestras et solemnitates vestras odicit anima mea.* At vero ex quo festa hæc in honorem Dei dedicata erant, cur illa vestra appellat? quia Deus nihil in illis agnoscebat, quod ad ejus cultum pertineret.

4. — Paulus de Palatio ad illa Psalmistæ, *Ps.* XLIV, 14, verba se reflectens: *Omnis gloria filie Regis ab intus*, de populo nostro ita scribit: « Vita christiana tota consistit ab intus, tota est in homine interiori renovando; si igitur tu totam vitam extra consumis, nihil curans interiora, hoc est cum vita christiana e diametro pugnare. »

5. — Advertendum, Christum non sine mysterio dixisse: *Omnia opera sua faciunt*; quia sicut quando radix arboris alicujus infecta est, omnes quoque fructus illius, ad quos humor illius transfunditur, pariter infecti et viliosi esse censentur; ita quoque in homine, vanæ gloriæ dedito, omnia opera ipsius bona, quæ facti ob intentionem et finem sinistrum, quem illa exercens habet, peccaminosa, culpabilia, inutilia et vana existunt. Unde Chrysostomus ait: « *Omnia*; non hæc, aut illa; hoc expulsi eos omnino a charitate, » prout ex totius *cap. XVII*, S. Matthæi, ex ejus capitis principio præsens Evangelium desumptum fuit, deorsum videre est, ibi namque Christus septem præcipue enumerat Scribarum et Phariseorum vitia: *Clauditis regnum colorum*, etc. Præter quæ aliud insuper malum, quod faciebant, adjungit, nimirum quod omnia ipsorum opera bona, quæ talia forinsecus esse videbantur, demeritoria et inutilia fuerint, quæ proinde propter fictionem, quam habebant annexam, ut Theophylactus ait: « Majori et graviore digna erant supplicio. Non solum autem nihil boni faciunt, sed et simulant, quasi faciant et si quando quidpiam faciunt, ut videantur faciunt et aufertur jam illorum merces; nunc autem quanta condemnatione digni, quando neque faciunt, et videri volunt, quasi faciunt? »

6. — Verum enimvero ex quo in principio Evangelii mentionem fecit eorum, qui super cathedram Moysi sedentes, docent et erudiunt alios prædicando, multorum malitiam manifestare voluisse videtur, qui propter humanos applausus ministerium istud exercebant, ut velut docti, scientifici, ingeniosi, penes mundum in honore habeantur et æstimationem, nequaquam vero profectum animarum et cultus divini ampliationem intendunt. Auctor Imperfecti, *Hom.* XLII, Scribis et Phariseis sequentia exprobat: « Prædicabant in lege Christum venturum et non credebant in eum, qui omnia opera sua faciebant, ut viderentur ab hominibus, id est, quia non vere prædicabant Christum venturum, desiderantes ipsius Christi adventum, quem prædicabant, sed propter hoc solum, ut prædicatores et traditores esse legis hominibus viderentur. »

Eundem vero discursum suum demum ad prædicatores nostros detorqueus, subjungit: « Simile positum habent omnes, qui justitiam Dei docent et non faciunt, quia non docent vere ipsum, quia titium Dei non amantes, quam docent, sed propter hoc solum, ut Doctores esse justitie Dei ab hominibus videantur. » In prima Epistola, quam Apostolus, qui ad portandum et annuntiandum Evangelium cunctis nationibus et Monarchis terræ specialiter a Deo electus fuit, ante omnes alias scripsit, docet omnes verbi Dei ministros, qualem sibi in hoc tam sublimi ministerio finem propositum habere debant: *Accepimus*, inquit, *Rom.*, 1, 5, *gratiam et Apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine ejus dilatando*, non pro fama propria; vel ut S. Thomas exponit: « Non pro aliquo terreno fructu querendo. » Ecce veram veri prædicatoris Apostolici et Evangelici effigiem et ideam, *Thes.*, II, 5: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione ovariæ, Deus testis est, nec querentes ab hominibus gloriam, neque in vobis, neque in aliis.* Gilbertus Abbas, *Serm.* XVII in *Cont.*, nonnullorum reprehendit obstinationem, qui in sermonibus suis nihil aliud facere contendunt, quam ut prædicent seipsos: « Student magis alta, quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. » Terribilis profecto est illa comminatio, quam S. Bernardus in suis sermonibus super Cantica, adversus ejusmodi prædicatores scriptam reliquit: « Væ qui bene de Deo sentire et loqui acceperunt, si questum æstimant pietatem, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum; paveant quod in Propheta legitur, dicente Domino: *Dedi eis aurum meum et argentum meum, ipsi autem de argento meo et auro operati sunt Baal.* *Ose.*, II, 8. Ipsi enim talentis et donis, quæ Deus illis ad procurandam animarum salutem contulit, quæ Deo carissimo vitæ et sanguinis sui pretio consulerant, utuntur ad mundi hujus captandam anam et applausum, vel ut ad honores sublimentur, aut vero ut lucrum sibi temporale acquirant.

Dilatant enim phylacteria sua et magnificant fimbrias.

7. — S. Hieronymus scribit, in *Matth.*, quod ex quo Deus, postquam Moysi præcepta digito suo conscripta dederat, mox eidem præceperit, dicens: *Ligabis ea in manu tua et erunt immota ante oculos tuos.* *Deut.*, VI, 8. Et quidem sensus horum verborum hic esset: « Præcepta mea sint in manu tua, ut opere impleantur; sint ante oculos tuos, ut die ac nocte mediteris in eis; » nihilominus Pharisei præceptum istud sinistre interpretantes, decalogum in membrana descrip-

tum et circumvolutum, fronti inslar coronæ superimponebant, ut illum semper ob oculos positum haberent. Hunc porro usum, inquit S. Hieronymus, Indi, Persæ et Babylonii ad ipsius usque tempora constanter retinuerunt: « Qui hoc habuerit, quasi religiosus in populis judicatur. » Præterea, est merus præcitati S. Doctoris discursus, Moyses eidem populo præceperat ut in quatuor pallii sui angulis ceruleas adnecteret fimbrias, ut per hæc signa exteriora a Gentilibus dignoscerentur: « Ut quomodo in corporibus circumcisio signum Judaicæ gentis daret, ita et vestis haberet aliquam differentiam; superstitiosi magistri captantes auram popularem, et Monarchis terræ specialiter a Deo electus fuit, ante omnes alias scripsit, docet omnes verbi Dei ministros, qualem sibi in hoc tam sublimi ministerio finem propositum habere debant: *Accepimus*, inquit, *Rom.*, 1, 5, *gratiam et Apostolatam ad obediendum fidei in omnibus gentibus, pro nomine ejus dilatando*, non pro fama propria; vel ut S. Thomas exponit: « Non pro aliquo terreno fructu querendo. » Ecce veram veri prædicatoris Apostolici et Evangelici effigiem et ideam, *Thes.*, II, 5: *Neque enim aliquando fuimus in sermone adulationis sicut scitis, neque in occasione ovariæ, Deus testis est, nec querentes ab hominibus gloriam, neque in vobis, neque in aliis.* Gilbertus Abbas, *Serm.* XVII in *Cont.*, nonnullorum reprehendit obstinationem, qui in sermonibus suis nihil aliud facere contendunt, quam ut prædicent seipsos: « Student magis alta, quam apta dicere, facientes apud infirmas intelligentias miraculum sui, non ipsorum salutem operantes. » Terribilis profecto est illa comminatio, quam S. Bernardus in suis sermonibus super Cantica, adversus ejusmodi prædicatores scriptam reliquit: « Væ qui bene de Deo sentire et loqui acceperunt, si questum æstimant pietatem, si convertant ad inanem gloriam, quod ad lucra Dei acceperant erogandum; paveant quod in Propheta legitur, dicente Domino: *Dedi eis aurum meum et argentum meum, ipsi autem de argento meo et auro operati sunt Baal.* *Ose.*, II, 8. Ipsi enim talentis et donis, quæ Deus illis ad procurandam animarum salutem contulit, quæ Deo carissimo vitæ et sanguinis sui pretio consulerant, utuntur ad mundi hujus captandam anam et applausum, vel ut ad honores sublimentur, aut vero ut lucrum sibi temporale acquirant.

VERSUS 6.

Amant autem primos recubitus in canis et primas cathedras in synagogis.

1. — Salvator noster hisce verbis interdu horum hypercitarum animum vitiosum esse ostendit. Albertus Magnus ait: « Est ambitio conjuncta gula et ambitio conjuncta superbiæ et favori seculari et laudi. » Amant primos in conviviis accubitus, quia in capite mensæ ferucla commaniter delicatoria et pretiosiora apponi solent. S. Antonius de Padua dicit: « Sequuntur carnis

« delicias primos recubitus in mensa, ubi scilicet « melior potio ponebatur. » Albertus Magnus ait : « In tali loco meliores dapes dabantur et meliora « vina propinabantur. » Hanc eandem ambitionem, meliores semper captandas cathedras, clare satis testimonio manifestabant. Dionysius Carthusianus per primas cathedras intelligit : « Eminentiores « sedes; vel immoderatum amorem dignitatum, » ut inquit Albertus Magnus, siquidem prima semper loca, reverentias, et obsequia, et titulos speciosos ambiebant : « Ambitio est cum cupidine humani « favoris. »

2. — Ponderat quoque sacri expositores verbum illud *Amant*. « Dicit : *Amant*, » inquit S. Thomas, « quia non reprehenditur auctoritas, sed inordinatus appetitus; quidam enim sunt in primo « loco corporaliter, qui tamen in corde sedent in « novissimo. » Similem quoque considerationem habet S. Anselmus dum ait : « Notandum, quod « non vult eos salutaris in foro, nec primos sedere « vel discumbere, quibus revera competit hoc officii « ordine; sed eos arguit, qui hæc habita vel non « habita appetant; non reprehendit de dignitate, « sed dignitatis cupiditate. » Auctor Imperfecti, *Hom. XIII*, observat, quod Deus parum curet sive corpus nostrum primo, sive ultimo loco consistat, sed solum respicit et curat animum : « Ergo quod « jubet Dominus in ultimo loco recumbere, non « solum sibi jubet, ut corpore novissimo in loco « jaceamus, sed etiam animo, ut novissimos nos « esse omnium judicemus; nam sine causa loco se « humiliat, qui corde se præfert; unde non vituperat eos, qui in primo loco recumbunt, sed eos, « qui amant primos disubitus. »

3. — Theophylactus ab illis, qui primos discubitus ambiunt interius arguit, ad illos, qui operantur ut exaltentur : « Pape! quid dicit? Idcirco condemnantur, quia amant? Quod si solum amans primos « accubitus condemnatur, qui nihil non facit pro « illis, qua condemnatione dignus? » Equidem prima facie non videtur ingens esse transgressio ambire honores, nihilominus, ut Chrysostomus, *Hom. LXXIII in Matth.*, scribit : « Hæc etsi minima « esse videantur, magnorum tamen causa sunt « malorum, nam civitates et Ecclesias sæpe numero « everterunt. » Quisquis Annales pervolvit Ecclesiasticos, videt clarissime, multos ab obedientia Sedis Apostolicæ se subducentes, in gravissimos schismatis et hæresum errores prolapsos fuisse, eo quod ad primas hæc cathedras non potuerint pervenire. Arius hæresiarcha, quia Episcopatum, quem arroganter ambiebat, non fuit assensus, in illum se conjecit errorem, ut inter presbyterum simplicem et Episcopum, nullam neque quoad ordinem, nec quoad manus impositionem, nec quoad sedem, differentiam intercedere assereret. Valentinianus ob eandem causam hæresiarcha

factus est, triginta fingens Deos, quindecim mares, alios vero quindecim alterius sexus, a quibus omnes alios Deos generari affirmabat. Tertullianus Montani hæretici partibus accessit, sequæ ab Ecclesia sequestravit, idque non ob aliam causam fecisse creditur, quam quia illi in honoribus prælatus fuit Victor Antiochenus. Propter eundem inordinatæ ambitionis stimulum Novatianus magnam in Ecclesia schisma fecit; id quod alio tempore in Africa pariter ob eandem causam accidisse novimus.

4. — Porro ex Evangelio clare deducitur, quam sint præcipua motiva eorum, qui ad sedendum in cathedra aspirant; quotquot enim dignitates sectantur ecclesiasticas, ad aliud nihil æque respiciunt, quam ad commoditatem vitæ, ad obsequia clientum et ad lucra pecuniarum, quas inde se comparaturos esse sperant, de servitio Dei, de salute et lucro animarum nec quidquam cogitantes. *Super cathedram sederunt*, ecce tibi commoditatem vitæ : *Omnia opera sua faciunt ut videantur*; id est, ut æstimationem et applausum sibi acquirant, ut laudibus et adulationibus deliniantur : *Dilatant phylacteria sua*; instar pavonis syrma vestium suarum expandunt, magnamque in vestibus, apparatus, cunctisque aliis tapetum opulentorum pretiosorumque ornamentis, faciunt ostentationem. *Amant primos recubitus*, ambiunt præcedentias, primas cathedras, ut ad dominandum, ut statuta et decreta condenda, promulgandas leges, sententiasque in rebus controversis ferendas, plenam auctoritatem habeant : *Salutationes in foro*, venerandum ab unoquoque accipiendi honoris obsequium : *Vocari ab hominibus Rabbi*, ut magnificentis speciosisque titulis præfulgere et gaudere possint. Cæterum nusquam in toto Evangelio invenietis, quod alia fiat mentio de facta per ipsorum industriam, malorum moram in populis dissolutis reformatione, de erogatis per illos elemosynis, de relictis post se salutaribus exemplis, de cultu Dei per ipsos promoti, de pauperum provisione, de plantata in subditis bona disciplina Ecclesiastica, nihil horum de hujusmodi ambiosis auditur, sed tantum de iis, quæ pro ambitionis et gloriæ mundanæ fomento deservire possunt.

5. — Porro argumentum evidens, unde tales ad scholam Christi minime pertinere, colligi potest, hoc est, quia prima et præcipua lectio, qua in schola Christi addiscenda proponitur et a qua Christus, in discipulis suis spiritualiter erudiendis, primum deducebat fundamentum, est humilitas, *Matth.*, xi, 29 : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*; hi autem faciunt, quod huic lectioni omnino est oppositum. Unde Theophylactus ait : « Ubi magis debebant docere alios humilitatem, eo « loco illi ipsi majori fastu corrumpebantur. » Ipsum diu ante quoque Chrysostomus his verbis scripserat : « Tu autem considera, ibi maxime illos

« inanis fomenta gloriæ quævisse, ubi jubebantur « humiliores esse in synagoga, videlicet qui ad « docendos alios veniebant. »

6. — S. Antonius de Padua quoque hanc ambitionem avaritiæ adscribit, dicens : « Sectabantur « avaritiam, quia conabantur habere primas cathedras in synagoga, ut scilicet essent præcipui in « oblationibus, quæ eis fiebant. »

VERSUS 7.

Et salutationes in foro, et vocari ab hominibus Rabbi.

1. — Rabanus, cujus testimonium Hugo Cardinalis adducit, culpabilem esse censet hanc prætensionem, quia in foro et plateis salutationes et alia reverentiæ signa recipere gestiebant : « Quamvis, » inquit, « et hoc culpa non careat, si iidem in foro « litibus ininteressent, qui in cathedra Moysi, synagogæ magistri cupiunt appellari. » S. Apostolus quemdam in Episcopali cathedra jam sedentem, hoc salutari monito instruxit, *II Tim.*, ii, 4 : *Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit*. Quodnam putas in hoc latet mysterium, quod clericis, dum primum pedem scholæ Christi inferunt, capilli præcidantur, ique insigniantur prima tonsura, ut vocentur? « Clericus « titulum habet in capite, » inquit Hugo Cardinalis, « scilicet tonsuram in signum abjectionis temporalium. » S. Augustinus pariter scribit : « Caput « radere signat cogitationes terrenas et superfluas « a mente rescari; » sicut enim capilli non sunt pars corporis necessaria, nec integralis, sed superflua, ita bona temporalia nobis non sunt connaturalia, sed superflua. « Unde sacerdotes minimam « partem capillorum in capite retinent, ut per « eorum abrasionem se minimam terrenorum sollicitudinem habere designent. »

2. — Dici etiam potest, hosce cathedram Moysi occupantes, in eo fuisse culpabiles, quod in plateis conversarentur. De Nazareis, qui ex proposito cultui Dei promovendo vacabant, *Jeremias, Thren.*, iv, 8, testatur, quod *non sunt cogniti in plateis*; unde satis colligitur, hosce ex cathedra Moysis docentes, solitudinis parum fuisse addictos. S. Mattheus, iv, 17, pulchre scribit, quando Christus prædicare et tanquam Magister in cathedra sedere cœperit : *Exinde cepit Jesus prædicare*. Sed quando? Auctor Imperfecti, *Hom.* iv, dicit : « Ex quo famem « vicit in deserto, avaritiam sprevit in monte, vanam « gloriam repercutit super templum. » Quidam vero hæc omnia nos docent? Ut nobis ostendat, qui ventri suo contradicere potest, qui sæculi bona contemnit, qui vanam gloriam non desiderat, ille debet Christi vicarius factus justitiam prædicare; postquam quadraginta solidos dies perseveravit in solitudine, tunc ad prædicandum egredi cœpit; quia

ad hoc, ut quis digne verbum Dei annuntiet, speratum quoque in animabus fructum afferat, necessarium est ut prædicator solitudinem diligat, et quoad fieri potest, ab omni commercio humano sequestratus vivat. Etenim quis majorem unquam in prædicando efficaciam audivit ea qua Joannes Baptista prædicare consueverat? Scimus namque, quam fuerint ab ejus predicatione subsecute conversiones; sed ubinam prædicare solebat? In horrido quodam deserto; atque ideo in tanta apud illum, Deo licet rebellem et contumacem populum, veneratione et reverentia erat. Hoc maxime illi reverentiam agebat, inquit Rupertus Abbas, quia veniebat ignotus, quia cum hominibus non fuerat conversatio ejus.

3. — Jansenius ambitionem eorum ex ea parte considerat, quod ambiabant passim appellari magistri : « Qui enim sibi in nomine placent Doctoris, « hoc ipso declarant, se plus sibi arrogare, quam « ipsis competat et quasi primarios reputare magistros; ac proinde ei, qui solus est vere Magister, « injuriam faciunt, sibi vindicantes quod illius « est. »

VERSUS 8.

Vos autem nolite vocari Rabbi, unus est enim Magister vester, omnes autem vos fratres estis.

1. — Cajetanus optime considerat, Christum nequaquam hanc nobis prohibere appellationem, quæ ab aliis nobis attribuitur; sed eam tantam, quæ ambitionem et desiderium nostrum annexum habet : « Non enim mihi prohibetur aliena actio, « sed propria, ac per hoc non vocari, sed affectus « ut vocer, affectus ad gloriam nominis. » Similiter Theophylactus prohibitionem nequaquam circa titulum fieri dicit, sed circa inordinatam nostram affectionem : « Non prohibet Christus vocari quempiam « Magistrum, sed tanta affectione velle vocari, et « omnibus modis curare, ut ita vocetur. » Eadem quoque est S. Thomæ expositio, « id est, non « ambialis. »

2. — Porro ratio, quam Christus reddit, cur nolit hunc titulum a suis, ad quos suum direxit discursum usurpari, fuit, quia solus Deus potest vocari Magister. S. Augustinus libri *Cjusdam* a se compositi, mentionem facit, quem hoc nomine, Magister, intitulavit : « Sub idem tempus, » ait, « scripsi « librum de Magistro, in quo disputatur, queritur, « et invenitur, Magistrum non esse, qui docet « hominem scientiam, nisi Deum, secundum illud, « quod in Evangelio scriptum est : *Unus est Magister « vester Christus.* »

3. — S. Thomas, *ibid.*, speculando dicit, eum, qui doctrinam ab alio acceptam et traditam aliis communicat, magistrum appellari non posse, sed solum illum, qui eandem in, et a semelipso habet, et hoc sensu solus Deus Magister appellandus venit,

uptote qui scientiam sibi propriam habet, nec ab ullo alio haustam. S. Anselmus, *lib. X in Matth.*, ait: « Unus est Magister, qui illuminat hominem, intellectum dando, homo autem non docet, intellectum conferendo. » S. Paschasius aliam rationem adducit, dum ait: « Christus, licet multi doceant, unus est Magister omnium, qui omnes homines « intus est magister, sed naturaliter docet; ideo « Paulus clamat, *I Cor.*, ii, 7: *Neque qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed qui incrementum dat Deus*; non enim homini intellectum praestat docendo, sed a Deo praestatur, qui intellectum « dat parvulis, et ait: *Intellectum tibi dabo, et instrum te*; unde beatus homo, quem tu erudieris « Domine, et de lege tua doceris eum. » Eandem quoque rationem reddit Lyranus, dicens: « Quia « solus Deus potest docere interius, intellectum « illuminando, suo speciem intelligibilem infundendo, homo autem docet solum exterius aliqua « proponendo. » Dionysius Carthusianus de hoc unico Magistro ita scribit: « De quo scriptum est in « Ecclesiastico, i, 5: *Fons sapientiae verbum Dei in excelsis*; » et de eodem subiungit: « Sine cuius « magisterio frustra laborabit Doctor seu Praedicator exterius. »

Omnes autem vos fratres estis.

1. — Albertus Magnus verba haec quoad parentelam spirituales exponit, dicens: « In gratia et « esse spirituali formati ex uno Patre, *Hebr.*, iii, 4: « *Fratres sancti vocationis caelestis participes*. *Hebr.*, « ii, 11, 12: *Non confunditur Christus fratres vocare eos, dicens: Annuntio nomen tuum fratribus meis*. » Dionysius Carthusianus dicit, et omnes nos nepotes et cognatos esse a protoparentibus Adamo et Eva oriundos, quoad hoc, quod corporis generationem spectat, quoad animam vero hanc omnes uni et eidem Creatori in acceptis referre debemus: « Equales quoque in natura specifica, et « filii Dei adoptivi per gratiam; » adducitque textum illum Malachiae dicentis: *Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non unus creavit nos?*

5. — Christus Salvator noster nos omnes in lege Evangelica stabilire volens, loco basis et fundamenti omnium praeceptorum, dilectionem reciprocam esse voluit, dicens, *Joan.*, xii, 45: *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem*. Apostolus, *Rom.*, xiii, 10, dicit: *Plenitudo legis est dilectio*. Ad hoc autem ut nos invicem cordialissime diligeremus arctiori vinculo nos ad invicem adstringere non poterat, quam si per verbum aeternae veritatis, nos ad invicem fratres esse affirmaret. Et ideo Malachias Propheta, ii, 10, postquam dixisset: *Numquid non Pater unus omnium nostrum? numquid non Deus unus creavit nos?* paulo post subiungit: *Quare ergo despicit unusquisque nostrum fratrem suum?*

VERSUS 9.

Et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester, qui in caelis est.

Et Patrem nolite vocare vobis super terram.

1. — Verumtamen receptissimus est in Ecclesia usus, quod multi religiosi, etiam illi, qui in optima observantia vitam suam regularem traducunt, Magistrorum et Patrum titulo appellantur; ac proinde Venerab. Beda multas suo tempore circa hunc textum quaestiones motas fuisse dicit: « Sed facile « solvuntur, quod quomodo unus per naturam Deus, « et unus Filius non praedicitur caeteris, ne per « adoptionem Dii vocentur, et filii; ita unus Pater « et Magister non praedicitur aliis, ut abusive « appellantur Patres et Magistri. » S. Hieronymus huic dubio aliter respondet, dicens: « Aliud est « natura Patrem et Magistrum, aliud indulgentia; « nos si hominem patrem vocamus, honorem aetati « deferimus, non autorem nostrae ostendimus « vita; magister quoque dicitur ex consortio veri « magistri. »

Unus est enim Pater vester, qui in caelis est.

2. — Lyranus notat, quod, tametsi vel genitores nostri, vel aetate valde maturi et decrepiti, vel nostri in vita spirituali magistri, Patris titulo appellari soleant, attamen solus Deus vere Pater appellari possit: « Quia ab eo solo habemus animam intellectivam, qua est forma hominis. » Aristoteles quoque ait: « Pater est, qui sui aliquid habet in « alio, ex quo ille constat in fieri, esse perfectio. » Nullus igitur praeter Deum, Pater noster appellari poterit, prout sancta illa Machabeorum mater ex instinctu utique superno professsa fuit, dum ait: *Neque ego spiritum et animam donavi vobis et vitam, cum filiis loquebatur, et singulorum membra non ego ipsa concepi, sed mandati Creator*. S. Thomas rationem reddit, cur Christus voluerit, ut aeternum Patrem suum, nostrum appellarem et invocarem Patrem, dum ait: « *Cum oratis, dicite, Pater noster*. Dicitur Pater, ratione specialis creationis, « qui creavit nos ad imaginem, et similitudinem « suam, quam aliis creaturis non impressit. » Similiter Pater noster merito dicitur, ob curam paternam, quam erga unumquemque nostrum gerit, qua tanta est, ut S. Augustinus ad Deum conversus, *lib. III conf.*, xi, dicat: « Sic curas unumquemque « nostrum, tanquam solum cures; sic omnes, tanquam singulos. »

Unus est enim Pater vester.

3. — Nam ut Apostolus, *Eph.*, iii, 14, ait: *Flecto genua mea ad Patrem Domini nostri Jesu Christi, ex quo omnis paternitas in caelis et in terra nominatur*.

4. — Hoc singularissimum privilegium « Omnia

« dona excedit, » inquit S. Gregorius, *Hom.* xix in *Ezech.*, « nimirum ut Deus hominem vocet filium et « homo Deum nomet Patrem. » Propter hoc Chrysologus praenimio stupore absorptus, exclamare hunc in modum, *Serm.* lxx, cogitat: « Nihil « tam stupet coelum, pavet terra et expavescit uni- « versa creatura: servus Dominum Patrem vocare « audeat; » hic honor unice nobis reservatus fuit, siquidem Hebraeorum populus, ceteroquin tantopere a Deo electus et praedilectus, eo praesumptionis ascendere nunquam ausus fuit, ut Deum communi titulo Patrem cognominare auderet; nec mirum, nam de illis Apostolus, *Rom.*, viii, 15, scribit: *Accepterunt spiritum servitutis in timore*; non vero idem de nobis ait, quin potius: *Acceptistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba Pater*.

5. — Advertendum, quales sancti Patres ex illis premissis deducant consequentias: *Vocate Deum Patrem*, inquit Chrysologus, sed cum quo pacto, vel conditione? « Quatenus sit vobis caelestis vita, sint « vobis divini mores, quia caelestis Pater respondens generi filios numeribus dicit divinis, « degenerantes ad peccata revocat servitutem. » Idem quoque monitum S. Cyprianus sequentibus verbis subministrat: « Meminisse itaque et scire « debemus, quia quando Patrem Deum dicimus, « quasi filii Dei agere debemus, ut, quomodo nos « nobis placeam de Deo Patre, sic sibi placeat et « ille de nobis filiis. »

VERSUS 11.

Qui major est vestrum, erit minister vester.

1. — S. Thomas, in *Joan.*, discipulos opponere et replicare potuisse dicit: « Vis, quod non sit pra-

« latio in terra? » et statim subdit: « Dicit Domi- « nus, hoc non volo, sed volo, quod qui major est « vestrum, sit vester minister, id est, non se exis- « timet ut superiorem, sed ut ministrum; » ac proinde S. Francisus omnes religionis suae superiores et Praelatos hoc nomine appellari et intulari voluit.

2. — S. Anselmus ait: « Hoc docet, non esse « contendendum de primatu; quicumque enim vult « fratrem suum praevenerire regnando, prius praev- « niat illum obsequendo. » Lyranus super verbum *Minister*, dicit: « Sit minister, id est, paratus ad « officia humilitatis, secundum decentiam sui sta- « tus; propter hoc Papa vocat se servum servorum « Dei. » Cajetan ministerium istud, quoad muneris sui exercitium exponit, dicens: « Exhibebit se « ad ministrandum vobis, recognoscendo se in veri- « late accepisse majoritatem ad ministrandum « vobis doctrinam, bonos mores, et universaliter, « quae sunt spiritus. »

VERSUS 12.

Qui autem se exaltaverit, humiliabitur: Et qui se humiliaverit, exaltabitur.

1. — Cajetan voces se exaltaverit, observat et dicit: « Superbus acutissime describitur per pro- « prium obiectum, dicendo se; nam obiectum « superbi non est honor aut gloria, sed ipsemet. » Eo ipso enim, inquit Christus, quo seipsum exaltat, immoderatum ambitionis suae appetitum exprimit: « Affectus, studium, officiumque superbi totum « tendit ad exaltandum se, humiliabitur tandem a « Deo. » Syriaca legit: *Quicumque efferet seipsum, deprimetur, et qui seipsum depresserit, efferetur*.

FERIA QUARTA POST SECUNDAM DOMINICAM QUADRAGESIMÆ

EVANGELIUM MATTHEI, CAP. XX, VERS. 17

17. Ascendens Jesus Jerosolymam, assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait illis:
 18. Ecce ascendimus Jerosolymam, et Filius hominis tradetur principibus Sacerdotum, et Scribis, et condemnabunt eum morte.
 19. Et tradent eum gentibus ad illudendum, et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.
 20. Tunc accessit ad eum mater filiorum Zebedaei cum filiis suis, adorans et petens aliquid ab eo, qui dixit ei: Quid vis?
 21. Ait illi: Dic, ut sedeant hi duo filii mei, unus ad dexteram tuam, et unus ad sinistram in regno tuo.
 22. Respondens autem Jesus dixit: Nescitis, quid petatis, potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus.